REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. EDUARD. JOSEPH. SCHMIDTLEIN

JUR. CRIM. PROF. PUBL. ORD.

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO
MUNERIS SUI PROROGATIONEM
CIVIBUS ACADEMICIS
EDICIT.

COMMENTATIONEM
DE
VOCUM ALIQUOT LATINARUM SABINARUM UMBRICARUM TUSCARUM COGNATIONE GRAECA

PRAEMITTIT

D. LUDOVICUS DOEDERLEIN
GRAEC. ET LAT. LITT. P. P. O. ET SEM. PHILOL. DIRECTOR. SOC. LITT. MONAC. SODALIS.

ERLANGAE,
TYPIS JUNGEANIS MDCCCXXXVII.

Quum Niebuhrius, vir immortalis memoriae, denuo historias Romanas ederet, ea quae de diversis vetusti Latii incolis suspicabatur, firmare conatus est admonendo, quicquid ex Latinis vocabulis ad agriculturam et pacatum vitae genus pertineret, congruere cum Graecorum sermone, illa autem, quibus res bellicae vel venaticae significarentur, nihil similitudinis habere cum Graecis vocibus easdem res significantibus. Adverterat ea observatio animos tam eorum, quibus lingua Latina, quam illorum quibus respublica Romana cordi erat; Otofr. Muellerus vero quum res Etruscorum scripturus opere docto, Jupiter, et laborioso, de priscis Italiae nationibus praefari coepisset, illud, quod Niebuhrius in transitu memoratum brevibus complexus erat, non solum probavit, sed percoluit etiam, quicquid ex linguis Siculorum, Oscorum, Sabinorum, Umbrorum reliquum est, inter se comparando, multaque partim evidenter partim sagaciter de antiquissimae Italiae fatis eruendo. Plurima idem in his linguis Graecam sane sive originem sive cognationem prae se ferre profitetur, multa et alia vocabula rursus ab eadem manifesto aliena esse asseverat. Ac de illis quidem, quae congruere dicuntur, ut in re aperta, controversia datur nulla, de iis autem, quae Graeca Graecisve similia esse pernegantur, operae pretium est accuratius anquirere, denuoque periclitari, num quae primo obtutu Graecam cognationem dissimulant et occultant, tamen Graecae stirpis convinci possint. Nam linguarum et vocabulorum cognatio et similitudo prope uti hominum est. Plerumque homines, sanguine inter se cognati, iidem etiam vultu similes spectantur; saepe tamen evenire solet, ut alter alteri aut corpore sit simillimus, quamquam sanguine plane alienus, aut consanguinitate proximus, ac tamen corpore quam maxime dispar. Eadem diversitas, inquam, usu venit in linguarum comparatione. Ergo stemmate quasi quodam opus est, non oculis vel auribus, quas penes prope nullum in aestimanda vel hominum vel vocabulorum cognatione judicium, aut saltem suspectissima autoritas. Enimvero si haec praeciperem O. Muellero, εἰδότι μακρολογεῖν jure coarguerer. Sed quoniam pridem hoc mihi proprium negotium sumpsi, ut non solum Graeca vocabula cum Latinis contenderem, sed leges etiam et rationes varietatis, in quantum possem, eruerem et intelligerem, spes ac fiducia est, ut viri doctissimi de singulis vocabulis judicia et sententias passim emendare queam.

Ait autem O. Muellerus p. 12 de lingua Siculorum disserens:

„Es gewährt eine höchst merkwürdige Bestätigung der eben angegebenen „Wanderungsgeschichte der Sikeler, dafs die seltenen und unhelleni-

„schen Ausdrücke, die in den genannten Schriftstellern der Syracusier „vorkamen, in der Regel sieb nuch in der Sprache Latiums finden . . *mu-„tuum* μοῖτον . . *lepus* λέπορις . . *patina* πατάνη . . *carcer* κάρκα-„ρον . . *gelu* γέλα . . *catinum* κάτανον."

Deinde p. 20 de lingua Latina:

„Ich halte auch jenes alte des Mifslautes wegen abgekommne *stl* in *stlo-„cus*, *stlis*, *stlatus*, *stlentus*, *stlopus* für einen barbarischen und von dem „griechischen στλ in στλεγγίς ganz verschiedenen Laut. Die Worte sind „ungriechisch; nur *stlatus* ist ein Sippe von πλατύς."

Et p. 21:

„Die allereinfachsten Handlungen werden meist mit Worten benannt, die „griechisch sind oder dem Griechischen sehr nahe stehen . . . Ich denke „an Worte wie *eo*, *sto*, *sedeo*. . . . Die Gegenbeispiele *habeo*, *fa-„cio*, *pono* u. a. m. scheinen mir jene nicht aufzuwiegen."

Et p. 24. not. 35:

„Ziemlich alle einfachen Worte im Latein die sich auf Staat und Recht „beziehen, alle vocabula forensia, sind ungriechisch, wie *forum*, „*jus*, *lis*, *vas*, *testis*, *civis*, *rex*, *populus*, *plebs*, *senex* (in *se-„nator*), das vielsinnige *moenus* u. a. m."

P. 38. De lingua Oscorum disserens:

„Mit dem griechischen zeigen diese Worte zum grofsen Theile keine „Verwandtschaft." Nihilominus ipse plurimam partem cum Graecis comparat, unice relinquens *famel*, *solers*, *supparus*.

P. 42. De lingua Sabinorum:

„ . . . indem die einzelnen sabinischen Worte, welche vorkommen, dem „griechischen beinahe sämmtlich durchaus fremd sind . . namentlich „*catus*, *ciprum*, *crepusculum*, *cupencus*, *curis*, *embrator*, *februum*, „*fedus*, *fircus*, *hernae*, *idus*, *irpus*, *lixulae*, *nar*, *picus*, *scensa*, „*sol*, *strena*, *terentum*."

P. 57. De lingua Umbrorum:

„Die lateinischen Wortstämme und Wortbildungsformen, die man in den „Eugubinischen Tafeln in ziemlicher Anzahl mit Leichtigkeit wahrnimmt, „gehören gröfstentheils dem ungriechischen Bestandtheil der lateinischen „Sprache an . . . Ungriechisch sind: *fameriat*, *habetu*, *suboco*, *pi-„hos*, *pihatu*, *pihaclu*, *poplo*, *poprike*, *ruphru*, *sakre*, *salvo*, „*screhto*, *prusekatu*, *arveitu*, *prumum*, *feretru*, *feraclu*.

P. 63. De lingua Etruscorum disserens:

„Einzelne etruskische Worte, welche der Abstammung nach erweislich „lateinischen oder griechischen entsprechen, giebt es sehr wenige; etwa „*aifil* s. v. a. *aevum* .... Dagegen hiefs das ganz fremdartige *ril an-* „*nus* .. *arse verse* nach Festus *averte ignem*, *falandum caelum*, *man-* „*tissa additamentum*, *subulo tibicen*.

Horum igitur vocabulorum maximam partem, literarum divaricatione insignitam, ratione tractaturus etymologica comparatione Graeci sermonis demonstrabo, non ita destitutum esse Graecis propinquitutibas, ut O. Muellero visum est.

* * *

Arma syncopatum ex ΕΡΥΜΑ, adjectivo ejusdem verbi ἐρύω, cujus substantivum usurpat Hom. Il. IV, 137. μίτρης ἣν ἐφόρει ἔρυμα χροός, ἕρκος ἀκόντων et Hesiod. Opp. 534, non alio fere sensu quam Latini *arma*. En ejusdem syncopes aliquot exempla: *arcere* ἀρκεῖν ἐρύκω, *arx* Ἔρυξ, *ardea* ἐρωδιός, *ardere* ἐρεύθειν, Ἀρσῖνος Ἐρασῖνος.

Carcer perinde ac κάρκαρον reduplicatione natum est ejus radicis, quae agnoscitur in *circus*, *circinus*, καρκίνος. Est autem ea κείρω, καρίς, *Schere*, quo instrumento circumdantur recidenda, antequam secantur et amputantur. Nihil autem congruentius fingi potest legibus grammaticae Graecae, quam ejusmodi reduplicationes: καρκαίρω a ΚΑΙΡΩ, unde *carmen*, κρίζω, ἀκρίς, *acredula*, κῆρυξ, κράζω, κόραξ, κρώζω, κορώνη; — κάρχαρον a χέρσος, *horrere*, ἀχώρ; — μάρμαρον a ΜΑΙΡΩ, Märchen, μάρτυς, ἀμαρυγή, ἦμαρ; — τάρταρος a τείρω, ἀταρτηρός; — γάργαρα ab ἀγείρειν *gerere*, *greges*.

Cassis Graecis dicitur κοττίς, si literas spectes; Δωριεῖς δὲ τὴν κεφαλὴν οὕτως καλοῦσιν, teste Poll. Onom. II, 29., sin notionem, forma paululum diversa κοττικοί· αἱ περικεφαλαῖαι, apud Hesychium. Nihil enim similius est quam galea capiti; ne κράνος quidem, quod Herodoto et Xenophonti galeam significat, aliud quidpiam est quam κάρηνον et κράνιον.

Civis in Tab. Bantina, memorabili Oscae linguae monumento, *ceus* vocatur, quae formae non magis discrepant inter se quam κείομαι et κέομαι; haec enim radix est *civitatis*. Quantulum enim interest, si qui vagari desierunt ac certas sedes ad incolendum fixerunt, num ibi sedere dicantur an cubare? utrumque enim quietis genus tranquillae ac diuturnae commorationis imaginem pariter praebet. Quanquam ne Pottius quidem spernendus est, qui in Etym. Forsch. T. I. p. 202 ΚΤΙΩ κτίμενος, ἀμφικτίονες subesse suspicetur.

Clupeus a κλέψαι dictus est, sive mavis, idem est quod κλόπιος Hom. Od. XIII, 295. ἀπατάων μύθων τε κλοπίων. Nam mendaciis perinde ac scuto tegimur et occultamur.

Ensis ab *ansa* formatum est ut *pellis* a *palla*, *lenis* a *lana*. Obscurata est literae *a* claritas novissimae syllabae vocali, eadem lege qua nos declinamus ich falle, du fällst, exemplo majorum usi, qui scribebant *du fellist*. Ipsum voc. *ansa* vix dubito quin sit verbale verbi *prae-hendere*, χανδάνειν, χαδεῖν. Est enim *ensis* proprie non ipsa lamina et acies ferri (nec nisi a poetis pro gladio usurpatur), sed capulus potius, proprieque loqui videtur Virg. Aen. IV, 261.

atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena.

Facio cum *face* parem habet radicem φέγγω, cui proprie respondet *fingo*. Nihil enim cognatius inter se ac similius quam notiones faciendi atque in lucem proferendi. Vid. infra de voc. *testis*.

Falandum, Etruscum coeli nomen, est φάλανθον blond, quam adjectivi formam Graeci quidem non nisi de calvis usurpabant, non aliam tamen ob causam, quam quod calvorum cranium renidet, ut Ulyssis apud Hom. Od. XVIII, 354.

ἔμπης μοι δοκέει δαΐδων σέλας ἔμμεναι αὐτοῦ
καὶ κεφαλῆς, ἐπεὶ οὔ οἱ ἔνι τρίχες, οὐδ' ἠβαιαί.

Proprie enim φάλανθος idem est quod φαληρός, φάλιος, tamque aptum est ad significanda lucida coeli templa, quam αἰθήρ, ab αἴθειν dictus. Ipsum autem φάλανθον num compositum sit ex φαλίως ἀνθῶν, hic anquirere non attinet.

Famel sive *famulus* videtur esse χαμαλός, si probabile est, Oscos perinde ac Sabinos literam *f* substituisse Graeco χ, quae ore Latino litera *h* exprimebatur, *humilis*. Simillimas autem fuisse inter se Oscorum et Sabinorum linguas, et veteres grammatici testantur et hodierni credunt, ut Varro L. L. VII, 28. *Cascus significat vetus; ejus origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit.* O. Mueller. Etrusc. I, p. 42. Henop. de L. Sab. p. 40. Aut si quando tabulae Bantinae certa explicatione demonstratum erit, non communem fuisse ambabus dialectis illam Graeci χ in *f* immutationem, facile fieri poterat, ut veteres in caetera utriusque sermonis similitudine Oscum dicerent, quod proprie Sabinorum erat. — Nisi forte *famulus* deminutivum est nominis μάμος· οἰκέτης apud Hesychium (cui congruit *Memme*), ut *formica* μύρμηξ. — *Familiam* Umbri *fameriam* dixere.

Forum nihil aliud est quam singulare neutrum accusativi *foras*, ablativi *foris;* hoc autem nomen plurimi consentiunt non magis differre a Graecorum θύρα, quam *fera* a θήρ.

Fedus sive *foedus* Sabinorum pro eo est, quod Latini *hoedus*, Gothi gaitei i. e. *Geifs* dicebant. Quis hoc nomen cum χοῖρος Graecorum congruere infitiabitur semel monitus? Nam ρ Graecorum saepe in *d* Latinorum transire satis notum; unde κηρύκειον *caduceus*, δαρὸν *dudum*, κόλουρος *claudus*, γαῦρος *gaudium*. Non pares quidem sunt at similes ipsae belluae, *foedus* χοίρῳ, sui; hispidae nimirum sunt. Eandem porro lege

Fircus Sabinorum, *hircus* Latinorum, adjectivum est nominis χήρ, *eres*, *herinaceus*, cujus verbale *hirtus* est.

Gladius adjectivum est vocabuli κλάδος. Non aliunde *cluden* histrionum dictus est; similiter *clunaculum* (culter sanguinarius, teste Festo) a κλών. Ne rudem quidem gladiatorum virgae quam ensi similiorem fuisse credo. Media κ quo jure tenuem *g* depulerit, nescio; esse factum, ut disparia omittam, etiam in *glocire* κλώζειν, res demonstrat.

Habeo a ΣΧΕΩ, σχήσω formatum est ut *maneo* a μένω. Obduruit autem digamma in *b*, ut in *dubius* δοιή, *scabere* ξέειν, *faba* ἀφάη. An tribuendum aliquid est glossae Hesychii: ἄβεις· ἔχεις, ut ipsam formationem *habendi* Graecis non inusitatam fuisse credamus?

Hasta verbale est verbi σχάζω, cui proximum antu est σχαστήριον, quo nomine chirurgi Graeci lanceolam suam appellabant.

Irpum dicebant lupum sive Sabini sive Samnites; eodem nomine ἔριφος, quo Graeci hoedulum vocabant. Nam aspiratas Graecorum saepius tenui exprimebant Sabini; unde *alpus* i. e. *albus*, ἀλφός; *crepusculum* κνέφας. Ab eodem nomine derivatum est Latinorum *ibex*, quod Graece scripseris ΕΡΙΦΑΞ, emollita litera *r*, ut in ἰφύς· ὀφρύς apud Suidam.

Jaculum non magis quam *jacere* Graecum est; nam ἰά αι, causativum verbi ἰαύειν cubare, quamvis notione congruat, tamen cognatum potius quam idem est; sed restat una saltem illius radicis formatio, ἰωκή, eodem fere sensu quo nos *Jagd* dicimus. An ἰός quoque, sagitta, huc pertineat, ignoro.

Jus verbale est ΙΟΤΟΝ, unde ἰότης voluntas; apocopatum, ut *fas* φατόν, *res* ῥητή, *dos* δώς δοτόν, *rus* ἄροτον. Ipsum verbum interiit, apud Graecos dumtaxat; nam Latinis habetur, *jubeo*, ΙΟΩ ut *dubia* δοιή. Sat vetustus autem est ille nominis *jura* usus, quo jussa potius quam justitiam significat.

Lepus λέπορις Boeotorum etiam est, non Siculis proprium. Cur enim fidem denegemus Varroni R. R. III, 12 id clare affirmanti, idemque repetenti in Antiqq. IV apud Gell. N. A. I, 18? Quocirca si idem de L. L. V, 101 scribit: *Lepus quod Siculis* (sic MS. Flor.) *quidam Graeci dicunt* λέποριν, malo emendare aut: *quod*

ut Siculi, aut: *quod Siculi et quidam Graeci*, aut: *quod cum Siculis quidam Graeci*, quam cum Spengelio et Muellero: *quod Siculi quidam Graeci*. Est autem λέπορις formatum a nomine beluae specie ingenioque simillimae, ab ἐλάφῳ, pariter timido, pariter ἐλαφρῷ. Et hoc ipsum ἔλαφος cervus Germanice sonat *Lampe* der Hase.

Lis, olim *stlis*, non multum abest quin Muellero condonem; adeo radix ipsa obscura, Graecorum comparatio manca est. An comparem τλητόν, toleratam injuriam? an ἀλείτης, ut significet delictum?

Lixulae, quod genus liborum *circulis*, Kringeln, simile erat, vocabulum Sabinum teste Varrone L. L. V, 107, deminutivum est adjectivi λοξός, unde *luxatus*. Iidem Sabini si *ciprum* vocabant quod bonum erat, apud Varr. L. L. V, 159, eadem vocalis *i* caritate vel vocalis *u* odio sic pronuntiasse putandi sunt pro *cuprum* i. e. cupiendum.

Mantissa additamentum dicitur lingua Tusca quod ponderi adjicitur, sed deterius et quod sine ullo usu est. Sic Festus. Novissima hujus glossae verba intuenti in mentem venire necesse est ματάζειν, unde *mantissa*, ut a κωμάζειν *comissari*, ἀναγκάζειν *necesse*, πυτίζειν *pytissare*, ὄβρυζον *obrussa*. Insertum autem est *n* corroborandae syllabae, ut in *mentiri* ab eadem radice formato, *menda*, *mendax* μάτη, μάταιος, in *planta* πλάτη, *mentula* μήδεα, *mandare* μήδεσθαι, *mentum* ματτύαι, sexcentisque aliis.

Mutuus e μοῖτος non diversius est quam *mortuus* a μορτός sive βροτός. Est autem μοῖτος verbale verbi ἀμείω, ἀμείβω, similiter ut ἄλειμα et *aluta* ab ἀλείφω vel κοίτη a κεῖμαι formatum est.

Pihos, *piatu*, *pihaclu* Umbri dixere, quod Latinis *pios*, *piato*, *piaculum* sonabat, fidelius illi quidem Graecae originis vestigia retinentes. Nam *piare* i. e. purgare, a ψήχειν *fegen* formatum est non minus, quam ψάω et φιαρός prorsus omisso χ (ut in *via*, pro *veha*), quod apud Umbros legitima litera *h* expressum est. Contraria res usu venit in *arveitu* eorundem Umbrorum, quod Latini dicunt *advehito*, Graeci ἐςεχέτω vel εἰςοχείτω, prout literas aut sensum exprimere malueris; nam ἐς transiernt in *ar* sive *ad*. Porro ut *pius* a ψήχω, ita *purus* idem est quod ψωρός, etiamsi notionem induit paene contrariam; idque ipsum agnoscere mihi videor in Tab. Eugub. VI, a 28, opera G. F. Grotefendii Rudimm. ling. Umbr. IV, p. 11 egregie adjutus:

orer oso perse ocre Fisie *pir* orto est

id est:

oratus audi, si (εἴπερ) in monte Fisio *pure* oratum est.

Pilum, unde nostrum *Pfeil* mutuati sumus, a πάλλειν, πῆλαι utique dictum est, homonymum *pilo*, quod a *pinsere*, πτίσσειν descendit.

Plebs sive *plebes* Latinorum in ore natum et immutatum est ex πλειάς, quo nomine Graeci stellarum certarum multitudinem et globum complectebantur, plejadas. Iidem *plebi* significandae plenius assumpserunt vocabulum, πληθύς sive πλῆθος; ipsum autem πλήθω a ΠΛΕΩ, πλέος, πίμπλημι, im-*plere* formatum est, si audies Pottium Etym. Forsch. I, p. 187, compositione hujus radicis cum verbo θεῖναι; quod exemplum secuti majores nostri *füllen thun* copulare solebant, retinente passim hunc usum nostrae aetatis plebecula.

Pono causativum est verbi πεσεῖν. Documento est prisca scribendi consuetudo *posno*, πίτνω, ita a *posui* ac *positum* diversum, ut *linere*, *sinere*, *spernere*, *sternere* a suo quodque perfecto ac supino, *levi*, *stravi*.

Populus non nulli, sed nimio etiam pluribus Graecorum vocabulis simile est, ut non quid omnino comparem, sed quodnam pluribus ex verbis potissimum comparandum sit ambigam. Illud apparet reduplicatione auctum esse nomen; ut *poples* Fulte, *populus* ἀπελλόν, *populari spolium*; sed radix quaenam subest? num πλέος, πολύς, ut idem sit *populus* quod *plebs*, πλῆθος? An πολλός, *pollere*, ut hac quoque re firmetur Niebuhrii sententia asseverantis, *populi* nomine Romanos olim nihil praeter patriciorum ordinem complexos esse? An πόλις, utpote πολισάντων? Nam Cretenses quum populum πόλχον vocabant, non ὄχλον intelligi volebant, metathesi nomen immutantes, ut vulgo creditur, sed δῆμον πολιοῦχον.

Prumum Umbrorum ipse Muellerus interpretatur *primum*. Est autem *primus* nihil aliud nisi superlativus adverbii πρό, perinde ac πρόμος, nisi quod πρόμος usu loquendi cessit illi superlativorum formationi, quae Graecorum in sermone unice obtinuit, πρῶτος. Jam nunc vide, Latinone sermoni Umbrorum vocabulum similius sit an Graeco. Latinum autem *primus* ortum puto ex *proimus*, ut *liberum* ex *loebesom*.

Rex, *regere*, ἀρχός, ἄρχειν, ut *regulus* avis ὀρχίλος. Auribus incredibilis habetur talis comparatio, arrogantiae etiam ridicula, recte autem aestimantibus evidens et indubia. Plerumque enim ἀ euphonicum quod vocant (nam de vera talis protheseos natura nondum liquet) cum syncope conjunctum est: ἀλγεῖν *lugere*, ἀμνή *mina* ovis, ἀπφύς πάππος, ἄρθρον ῥέθος, ἀσπίς σήψ, ἀσκός σάκκος, ἀρνός ῥήν, Ἄτλας τάλας. Similia monui de *ruphru*.

Ruphru Umbri pro *rubro*. Caute fecit Muellerus, quod tacite eos, qui *ruber* et ἐρυθρός (unde *rutilus*, *russus*) eadem vocabula esse persuasum habent, improbavit,

ideoque *rubrum* in vocibus non Graecis numerat. At ipse immemor fuit adjectivi ὀρφνός, quo eadem elementa quae in *ruber* et *rufus* continentur. Sed saepe talis cognatio latuit interpretes, quoties ὁ euphonicum absorbendo eam vocalem, quae radicales inter consonantes audiri solet, syncopen traxerat, ut in ὀγμός γάμος, ὄρθιος ῥοθεῖν, ὀργᾶν *rogare*, ὀρχίλος *regulus*, ὄμβρος *mare*, dein ὀλκοί λύκοι, ὄλπη λίπα, ὀλχον λόχον apud Hesychium; postremo in derivatis ὄρπηξ a ῥίψ ῥάπις, ὄρνις a ῥίν.

Sagitta nomen habet ab ἔχις, ἔχιδνα; nam acuta tela *anguium* nominibus significari solent; ipsum ἔγχος ab ἔχιδι *angue* dictum est; λόγχη et *lancea* cum *Schlange*, σέλαχος cognatum esse, non cum *longus*, unde λαγγάζειν, documento est ipsa aspirata.

Scensas Sabini coenas dicebant. Mire hoc vocabulum congruit Aristophaneo Nubb. 633. ἔξει τὸν ἀσκάντην λαβών, quo aliquod κραβάτου genus indicari consentiunt interpretes. Quid mirum si ipsam accubitionem epularem Sabini eodem vocabulo significabant, quo Graeci lectulum accubando vel recubando idoneum? Ipsum coenae sive caenae nomen a κοίτη derivare non dubito.

Serehto Umbrorum in Tab. Eug. VII. *pusei subra serehto est.* Cur in hac scriptura Muellerus *scriptum* quidem agnoscit, p. 57, γραφ-τόν vel σκαριφητόν non agnoscit? De *pusei* Muellerus not. 112, videri esse *quasi*. Quidni ex ὅπως natum, cum eodem paragoge, quae in οὑτωσί apparet? vel si alibi *porsei subra serehitor* legimus, eaque scriptura primitiva ac vera habebitur, agnoscam Graecum ἀπερεί.

Senex neminem opinatus sum dubitare quin esset ἄναξ, Latinorum pronunciationi accommodatum; adeo evidenter cognatae sunt notiones *senectutis* et *regnandi*. Nam quotquot vocabula Graeci in -αξ terminant, Latinis fiunt -*ex*, ut αὖλαξ *aulex*, μύαξ *murex*, πάλλαξ *pellex*, ψύλλαξ *pulex*, ῥύπαξ *rupex*, ὕραξ *sorex*, quibus addere licet dubia, θύλαξ *follex*, ὄρπαξ *irpex*, κόλαξ *culex*. At enim *s* unde praefixum est? causam et originem non novi; illud scio, multas Latinorum voces a sibilo incipere, in quibus eundem sibilum Graecos non, ut alias, in aspirationem attenuasse, sed prorsus abjecisse manifestum sit. Exemplo sint: ἄλσος ἄλτις *saltus*, ὀρός *serum*, ἐρύειν *servare*, εἶδος *sidus*, ἄνευ *sine*, ἐᾶν *sivare*, εἰ *si*, ἄρδα *sordes*. Quodsi *senex* est ἄναξ, *senator*, *senatorius* in promptu erit contendere cum ἀνάκτωρ, ἀνακτόριος.

Sol cum ἥλιος cognatum esse ipse concedit Muellerus; propius etiam abest a σέλας; quodsi in Carm. Fr. Arv. semel scriptum est *limen sallista berber*, veram hanc puto scripturam, ita Latine interpretandam: *lumen solis da fervere*, ad normam Horatiani:

Pulchra Laverna,

Da mihi *fallere*, *da* sanctum justumque *videri*.

Nempe *sallis* assimilatione genitivi σάλασος, σάλαος oritur, ut *mellis* μέλιτος.

Stlatus sive *latus* neque cum πλατύς consonum neque a reliquo sermone Graecorum absonum videtur. Est enim ἐλατός, ut *lamina* ἐλαμένη. Cur Latinum produceretur, causa fuit digamma, quod Graeci, in ἐλαύνω servatum, in ἐλατός omiserant, Latini autem fidelius retinuerant. Analogiam praebet *fatus*, φατός, πιφαύσκω.

Stlentus nulla nititur autoritate; in Festi fragmentis legitur p. 248 ed. Lind. „*stlembus*, gravis, tar*dus*, *sicut Lucilius* . . . Apulidae pedi*bus stlembum dixit*, „cum refert *equum pigrum et tardum*", ubi Scaliger veretur „ne Verrius in vitio- „sum exemplar Lucilii inciderit, et Lucilius scripserit *stlentum*, pro lentum." Notavit hoc post rerum Etruscarum editionem Lindemannus ad Fest. p. 682, nisi quod minus recte *stlembus* idem esse quod στρόμβος Graecorum esse auguratus est. Quinimo *stlembus* idem est quod nostrum *lahm*, non quo Latini addiderint -*bus*, sed quod Germani demserunt eandem consonantem finalem ut in krumm, olim krumb, *curvus*, vel um, olim umb, ἀμφί. Haec si tenuerimus, *lembus* apparebit radice niti *labare*, unde Graecorum λωφᾶν.

Stlocus i. e. *locus*, a radice ΛΕΧΩ legen, unde λέχος Lager et, quod Latinis literis ad amussim respondet, λόχος et λοχᾶν, *locus* et *locare*, qua de vocabulorum familia accurate disputavit Buttmann. Lexil. T. II. p. 86 sqq. probe ille separans radicem λέγειν *legere*, *colligere*. Ipsum autem consonantium *stl* concursum non tam durum esse sentio quam Muellerus. Primitivum sonuisse existimo σλ, *slocus*, quod nos Germani servavimus in schlecht, schlicht, olim sliht, quod est ejusdem radicis ΛΕΧΩ verbale. Atqui eundem consonantium conjunctionem, quam nec Graeci nec Latini vel ore proferre vel auribus perferre poterant, in vocabulorum initiis Graeci leniverunt aut vocalem substituendo sibilanti, ut in ἐλαχύς, aut omittendo ipsam, ut in λέχος; Latini contra prisci eodem consilio *t* intulerant, tanquam facilior transitus esset a *t* ad *l*, quam ab *s* ad idem *l*, donec ipsum *s* vel *st* Graecorum exemplo prorsus omittere didicerunt.

Stloppus apud Pers. V, 13 est κόλαφος, Klapps, Schlappe, cum praesertim fluctuet scriptura *stloppus* inter et *scloppus*, quemadmodum *exanclare* pariter atque *exantlare* scribi solet. Illud autem legitime fit, ut reddantur aspiratae Graecae geminatione cognatae tenuis, ut *tippula* τίφη, *cippus* κεφαλή, *struppus* στρόφος, *topper* στυφρῶς, *cruppellarii* κεκρύφαλος.

Strena si nihil praeter munusculum significaret, magnae foret molis cum

Graeco id aliquo vocabulo componere; nunc Sabinos sanitatem eadem voce appellasse constat, unde eadem vox ad certum muneris genus, ominis boni et bonae valetudinis causa dari solitum, translata est. Itaque perinde ac *strenuus* et, quod oppositum est, ἀδρανής a δραίνειν, δρᾶν derivatum esse ajo, non audaciore conjectura quam *stips*, *stertere* et στύραξ ad δαπάνη, δαρθάνειν et δόρυ referuntur.

Suboco Umbrorum, saepe in Tabb. Eugub. obvium, quod aperte valet *invoco*, Graeco ore dixeris ὑπηχέω sive mavis ὑπάχω, Latino *subvoco*, quanquam apud Latinos etiam reperitur vox ejusdem radicis, in qua digamma, i. e. *v*, apparet nullum, *axamenta*, et *axare*, nominare, apud Festum.

Subulo Tuscorum idem nomen est ac *sibilus* Latinorum. Cedebat plerumque vocalis prioris syllabae, prout sonabat paenultimae vocalis, immutataque est sequentis vocalis vi et impotentia, uti fere accidit in *pristinus* πρόσθεν, *cucumis* κίκαμα, *coluber* σκάλαφος, *cubula cibus*, μολόχη μαλάχη. Atqui *sibilus* Latinorum iisdem compositum est elementis, quibus σιφλός Graecorum; σιφλόν sane fateor saepe in diversum propemodum abiisse sensum, affinique verbo σίζειν, σίξαι primitivam sibiladi significationem cessisse et reliquisse. Sed apud antiquissimum poetam Il. XIV, 142 θεὸς δέ ἑ σιφλώσειεν! nihil obstat quominus explices: *deus ejus conamina exsibilet!* secundum Hesychium: σιφλοῦν· μωμᾶσθαι. Vid. Comment. meum de *α* intens. p. 18. Mitto quaerere, num σιφλός ideo debilem significare coeperit, quod sibilo dignus esset, an ideo potius, quod tenuitas sibili debilitati assimilaretur; illud autem manifestum: ferula propterea σιφλή vocatur, quod sicuti canna naturalis quaedam tibia est; siquidem etiam σίφων et *silanus*, quod ex *sibilans* contractum est, *subulonis* instrumento tam apte comparantur, quam *tubae* assimilatur *tubus*.

Supparus Oscorum, cujus meminit Varro L. L. V, 131, retulit quidem Muellerus T. I, p. 38 ad Graecum sermonem, non tamen recte, si quid video, ad *superus* sive, quod idem est, ad ὑπέρ. Unde enim geminatio literae *p?* Equidem radicem ὑφή, ὑφαίνειν, *weben*, in isto nomine agnosco, vel, si novas formas fingere licet analogia duce, ὕφαρ, i. e. ὑφάσιον, ὕφασμα. De geminationis causa vide quae notavi ad voc. *stloppus*.

Terentum Sabini dicebant, quicquid molle erat; idem fere Graeci τέρην, cum quo nomine et *tironum* et Germanici *Dirne*, olim *thiarna* vocabulum congruit.

Testis et *testari* a τεκεῖν formatum est, quemadmodum *astus* ab ἀκή, *acuere*; sive hoc dubium habetur, *justa*, *mistus*, *Sestius*, nemo negat molliores pronunciationes esse plenarum formarum *juxta*, *mixtus*, *Sextius*; quidni etiam *testari* pro *textari?* De notionum cognatione, si cui demonstratione egere videtur, rejicimus

lectorem ad ea, quae de *facere*, φέγγειν, supra monui. Omnis demonstratio ac testatio generandi speciem habet, unde fit, ut *peperisse* et sono et origine et natura arcte cohaereat cum *apparere* et πεπαρεῖν. Quin et Graeci eedem sensu τέκμαρ, τεκμαίρω dixerunt, quod verbum ex τεκεῖν et ΜΑΙΡΩ, μαρτυρεῖν, ἀμαρύσσω compositum est, et ipsi vicissim Latini in *testiculi* retinuerunt Graecum ejus verbi significatum; quis enim credet asseverantibus, ideo *testiculos* dictos esse, quod sexus masculi testimonia sint? Imo quod pars genitalium ac potius ipsa proprie genitalia sunt testiculi.

Vas, *vadis* radix est deminutivi ἄεθλος. Jocari videbor aurem suam consulentibus et soni similitudinem taxantibus, quoniam ne una quidem literula Graeca aequalis est Latinis literis; quod contra si non verum vidisse, at serio saltem agere ac probabiliter disserere iis videbor, qui mecum comparare voluerint similia: ἄτη ἀάτη *vitium*, ἀερτάζειν *vertex*, αἴθριον *vitrum*, αἰθόλιξ *vitiligo*, ἀΐξαι *vegere*, ἔαρ *ver virere*, alia, in quibus Latini vocalem initialem Graecis usitatam omiserunt, digammu autem Graecis omissum retinuerunt, ut falsa specie *v* in locum vocalis succedere videri posset. Ipsum autem ϑ rite transiit in *s*, ΕΘ in *vas*, ut αἴϑω in *aes*, πύϑω in *pus*, ὀϑομαι in *os*, ζύϑος in *jus*, κριϑός in *Ceres*. Notiones vero *vadimonii* et *praemii* primo obtutu satis inter se dissimiles consociari poterunt ope et opera Germanicae linguae tanquam sequestrae. Est enim *vadari* wetten, quod verbum apud nos praemium certaminis proponere significat, uti fere ἄεθλον ϑεῖναι; apud Anglo-Saxones autem quondam *weddjan* item significabat Bürgschaft leisten, ut Latinorum *vadari*. Alterum vero ejusdem soni nomen, *vas*, *vasis*, radicem prae se fert communem cum Gothico *wasjan*, i. e. induere, unde Graeci ἕννυμι, ἕσσαντο, ἑστὸν Weste, et ἔντεα Gewänder.

Addere juvat alia quaedam exempla vocabulorum Tuscorum Graecam cognationem prae se ferentium, quorum passim O. Muellerus mentionem fecit.

Aruns, complurium de Tarquiniis praenomen, est Ἀρίων, ἀρείων, ut *lucuns*, γλυκίων.

Atrium literis αἰϑρίῳ respondet, ut *ater* αἰϑός, *crapula* κραιπάλη, re autem αἰϑούσῃ domuum Graecarum aequale est. Aliter Muellerus T. I, p. 256.

Lictores sunt ἀλκτῆρες, ἀλεκτῆρες vel ἀλέκτορες; erant enim, credo, satellites principio, tutandis magistratuum corporibus, non percussores, ut ii putarunt, qui a ligatione noxiorum nomen accepisse putant.

Lucumo, *Lucmo*, Tusce *Lauchme*, est Ἀλκμάν, Ἀλκμαίων, ἄλκιμος.

Nepos quum helluonem significet, jure Muellerus T. I, p. 277 ab illo *nepote*, quem Graeci ἀνεψιόν, nos Neffe dicimus, prorsus diversum esse suspicatur; ut *sacerdos* ex *sacrorum* δότης, ita *nepos* natum est ex ἀναπότης i. e. *potator;* quod nomen compositum num legatur usquam necne, parum refert, dummodo et ἀναπίνω et πότης legitima esse credantur.

* * *

Haec omnia quamquam contra O. Muellerum monita volo, tamen, licet nihil ex iis dubitationi obnoxium sit, neque id valent neque ea spe scripsi, ut labefactaretur ejusdem sententia, mixtione variarum linguarum ac dialectorum ortam esse linguam Latinorum. Nam confluxisse Romam antiquitus ut multas nationes, ita etiam dialectos multas, in unumque sermonem, varietate quadam et inconstantia conspicuum, coaluisse, mihi quidem quanto acrius investigare coepi, tanto exploratius habetur; illud vero quaeritur etiam nunc diligentissimeque est quaerendum, quatenus tot tam variae dialecti congruant cum sermone Graeco; num Italicae gentes (praeter Rasenas, credo) omnes Graecis conjunctae et consanguineae, an partim ejusdem cum Graecis originis, partim prorsus a Graecis diversae planeque barbarae sint habendae.

Quae omisi vocabula a Muellero item Graecae cognationi abjudicata siccoque pede transii, ea partim condonanda impraesentiarum arbitror O. Muellero, donec doctior aliquis me et sagacior fortasse occultam adhuc cognationem Graecam deprehendat, partim ipse sexto Synonymorum Latinorum volumine mox prodituro ad Graecas radices retuli. Ejus enim libri, quem Etymologico Latino assimilare conatus sum, hunc quasi prodromum esse volui.

Superest, ut Vos, commilitones ornatissimi, certiores faciamus, nihil proximo anno in regenda civitate Vestra immutatum iri. Cui enim praeterito anno paruistis et obsequium Vestrum approbavistis, viro consultissimo

D. Eduard. Ioseph. Schmidtlein

jur. crim. prof. publ. ord.

eidem etiam in proximum annum, perraro sane exemplo, continuatum est munus et honos. Vestrum igitur erit pro virili parte curare, ne talem virum tam diuturni negotii Vestra maxime caritate suscepti unquam poeniteat.

Dabamus Erlangae XVII. Novembr. MDCCCXXXVII.

L. S.

